

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4483

**Auteur(s) :** Avranches (official)

**Bénéficiaire(s) :** Simon, recteur de l'église de Ducey [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1273, 26 septembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'official d'Avranches fait savoir que Simon, recteur de l'église de Ducey a reconnu devant lui avoir accepté, au nom de son église, de l'abbé et des chanoines de Montmorel un enclos sis à Ducey en emphytéose ou au droit héréditaire pour 3 sous 4 deniers tournois et d'autres rentes annuelles.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CXXIX, p. 116-117.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Abrincensis salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presentia constitutus Simon, rector ecclesie de Duxeio, spontaneus, non coactus, recognovit se accepisse in emphyteosim, seu in perpetuum hereditatem, nomine ecclesie sue, a viris religiosis abbate et conventu Montis Morelli quoddam clausum situm in parrochia de Duxeio, adjunctum manerio dicti rectoris, quod quidem clausum quondam vocabatur clausum Au Berger, pro tribus solidis et quatuor denariis Turonensium et duabus gallinis reddendis eisdem religiosis et eorum successoribus, seu eorum mandato, singulis annis, videlicet dictos denarios ad festum Sancti Remigii, et dictas gallinas ad Nativitatem Domini, et faciendo eisdem religiosis et eorum successoribus homagium pro dicto clauso a dicto rectore et ejus successoribus. Quem quidem redditum dictus rector obligavit se et successores suos de cetero dictis religiosis et eorum successoribus vel eorum mandato soluturos ad terminos supradictos, volens et consentiens quod, si in dictis terminis, seu aliquo tempore, in solutione dicti redditus vel partis ejusdem cessaverit, dicti religiosi vel eorum mandatum possint in dicto feodo, pro dicto reddito non soluto ac etiam pro emenda, suam justiciam plenariam exercere. Promisit etiam dictus rector et obligavit se dictum clausum in bono statu tenere, ita quod dicti religiosi vel eorum mandatum libere et commode in eodem valeant suam justiciam exercere, et quod ipsi et eorum successores super dicto clauso habeant gagium et plegium ac relevium et alias obedientias, ratione dictorum gagii et plegii ac relevii debitas a dicto rectore seu ejus successoribus, secundum usum et consuetudinem Curie laicalis, obligans, quo ad hoc, idem rector se et successores suos et omnia bona sua mobilia et immobilia, presentia et futura, specialiter et expresse. Ad que omnia et singula firmiter tenenda et fideliter adimplenda dictum rectorem presentem et consentientem in scriptis condemnavimus. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, die martis post festum Beati Mathei apostoli.